



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. vj. De speciebus quibusdam alterationis minùs pæcipuis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

mirum in hora sunt partes proportionales. Sed illud non est absurdum, quia cum partes proportionales vnius horæ non sint infinitæ categorematicè, ita nec erunt infinitæ extensiones nisi syncategorematicè.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Si producitur extensio noua in rarefactione, necesse est vt omnes partes quantitatis rarefiant; hoc autem absurdum videtur, quia si omnes partes eius quod rarefit, de nouo extenderentur, necessariò id quod rarefit, occuparet spatium duplo maius quàm ante; si enim pars rarefacta non occupat duplo maius spatium, aliqua pars manet in eodem planè loco, in quo antè erat: ponamus v. g. extendi partem palmaris, & acquirere medietatem palmi: tunc vel quantitas palmaris secundùm omnes partes est in nouo spatio; & hoc non, quia quantitas palmaris non est in medietate palmi; vel solùm secundùm medietatem: ergo non est rarefacta secundùm se totam.

Resp. negando quod corpus rarefactum semper acquirat spatium duplo maius; nulla enim pars rarefacta est adequatè in eodem loco, in quo erat antè; sed solùm inadæquatè. Quantitas ergo palmaris secundùm omnes partes inadæquatè sumptas est in nouo spatio, non secundùm omnes partes adequatè sumptas.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Si omnes partes rarefiant, minimæ partes occupant nouum spatium: sed nouum illud spatium necessariò est æquale priori spatio, alioqui esset minus minimo: ergo necessariò spatium occupant duplo maius.

Resp. nullas in continuo reperiri partes minimas, atque adeò nullum posse occupari tam paruum spatium, vt non possit minus occupari.

Quarta obiectio.

Obiicitur quarto. Sicut non possunt partes omnes quantitatis diuidi propter infinitatem, ita neque omnes possunt extendi; non enim videtur esse disparitas.

Resp. disparitatem in eo esse, quod si partes quantitatis omnes diuiderentur, quantitas reduceretur ad indiuisibilia, quod implicat: hoc autem non sequitur ex eo quod omnes partes extendantur; probaretur enim eodem argumento, quod partes non possent motu successiuo pertransiri.

SECTIO VI.

De speciebus quibusdam alterationis minus præcipuis.

Digestio.

Res illæ sunt, digestio, liquatio, coagulatio; de quibus differit Aristoteles 4. meteororum: non sunt autem propriæ alterationes, sed magis illas coniunctas habent.

Dico primò. Digestio, seu concoctio, rectè definitur ab Aristotele, *Perfectio à natura & proprio calido ex oppositis passivis*; idest, actio quæ perficitur humidum & calidum à calore segregante partes inutiles ab utilibus.

Primò dicitur, *perfectio*, idest actio, qua debita perfectio acquiritur; digestio enim ea perficit, quæ idonea reddit ad suum finem, qui est nutritio animalis, vel generatio similis.

Secundò dicitur, *ex oppositis passivis*, idest sicco & humido; illa enim duo se habent vt materia necessaria concoctionis, qua siccum humido veluti medio mollescit: & hæc ratio est, cur crassiora euadant ea quæ concoquuntur; illud enim quod concoctionem primò recipit, est humidum

A quod miscetur sicco & partibus terrestrioribus, ideoque crassescit.

Tertiò dicitur, *à natura & proprio calido*; quia causa efficiens digestionis est calor naturalis; frigiditas enim digestionis causa non est, nisi per accidens, quatenus vel calorem remittit, & ad statum naturalem reducit; vel per antiperistasin illud auget. Innatur videlicet calor ille balneis, quiete, motu, fomentis, vt apparet in maturatione morbi & humorum.

Dupliciter ergo fit digestio; primò enim per eam acquiritur noua forma substantialis, vt in nutritione animalis. Secundò per eam aliquando non acquiritur nisi noua qualitas, quæ mixtum incipit esse in nouo statu; panis v. g. substantialiter non differt à massa, licet contrarium doceat Caietan. 3. p. 9. 74. art. 4. videturque approbare Suarez disp. 69. de Eucharist. sect. 3.

Dico secundò, tres esse præcipuas species digestionis, maturationem, assationem, elixationem.

Triplex digestio.

Matratio est digestio humoris in fructibus, quæ redduntur apti ad productionem similis; beneficio enim caloris naturalis euaporatur humor quidam subtilis inutilis ad generationem animalis, & fit maturatio, quæ aliud non est, quàm humidi subtilioris depulsio; vnde fructus initio sunt acerbissimi, quia multo abundant humido subtili, quo paulatim depulso, illud solùm manet, quod est pinguis & crassius: totum videlicet humidum, quod arbor è terra exsugit, sagax natura sic distribuit, vt quod magis est terrestre, abeat in lignum; quod est magis aqueum, in folia; quod magis æthereum, in flores & fructus. Elixatio est digestio humidi nondum apti ad nutritionem animalis ab extrinseco calore humido; humidus enim calor aquæ, qui est extrinsecus ipsis carnibus, foras extrahit humidum, quod in illis abundat, donec reducantur ad eum statum qui congruit nutritioni animalis. Assatio est digestio humidi à calore extrinseco sicco; opponitur porrò assationi tostio, & elixationi inquinatio.

Dico tertio. Coagulatio est exsiccatio noua

Coagulatio.

corporis humidi; liquatio verò est solutio & humectatio corporis sicci; cum enim proprium sit corporis sicci terminari proprio termino, corporis autem humidi diffuere, propterea siccum dum incipit diffuere, liquari dicitur; dum impeditur fluere, dicitur coagulari, seu exsiccati. Fit autem exsiccatio, primò inclusione partium humidarum, quæ compressæ lateant intra partes sicciore: secundò illarum ablatione, si euolent in vaporem resolutæ.

Dico quartò, causas coagulationis esse aliquando frigidum, aliquando calidum. Primò enim frigidum siccum aliquando coagulat per se condensando partes aqueas, & cogendo eas in vnum cum terrestribus; sic enim aqua coagulatur in glaciem, niuem, grandinem. Secundò frigidum coagulat per accidens exprimendo partes calidiores humido immixtas, cum quibus humidum quoque implicitum euanesceit; vel quia vi caloris humidum resoluatur, & calor constipante frigido in vnum cogitur. Frigiditas porrò coagulans aliquando est extrinseca, vt in mixtis imperfectis; aliquando intrinseca, vt in mixtis perfectis: ideo glacies & grando semel liquatæ semper manent fluidæ; metalla verò semel liquefacta iterum durefcunt.

Causæ illius.

Calidum siccum aliquando coagulat per se, tum componendo partes aqueas & æreas cum terrestribus, tum resoluendo partes aqueas in vaporem. Aliquando coagulat per accidens, quando

per

per antiperistasin frigidum densatur, ut sit in grandine.

Calidum item aliquando liquat per se, aliquando per accidens. Per se, quia rarefacit partes frigore constrictas; sic enim soluitur glacies disjunctis partibus terrestribus, quæ aqueas partes continebant. Liquat per accidens, quando per antiperistasin cogit partes frigidas, à quibus humor diffilatur in vaporem.

Frigidum denique humidum per se liquefacit sal & nitrum, quia subit eorum poros, sicque distinguit partes terrestres exsiccatas, & in vnum coactas vi caloris. Liquefacit quoque interdum per accidens, quia frigore calidum expellitur, cuius vi efficitur crassitudo, ut in spermate.

Colliges primò, ea corpora, quæ plurimùm habent aëris cum lentore quodam, ut oleum, crassescere à calido & frigido, quia resolvuntur aquosæ aliquæ partes; sed nunquam durefcere, quia parum habent terræ: idem accidit melli; acetum verò nec crassescit, nec durefcit.

Colliges secundo, ea in quibus aqueus humor propter coagulationem & plures partes terrestres ita constipatus est, ut ab igne dissolui nequeat, mollescere tamen, imò etiam liquefcere, si fuerit ignis vehementior.

Colliges tertio, lapides quibus pori rari sunt, & in omnem partem diffusi, esse frangibiles; quibus verò crebri sunt & frequentes, esse comminibiles. Ligna, quorum pori sunt in longum protracti, partesque glutino tenaci compactæ, in longum scindi possunt, non frangi. Quæ sunt terrea, si lentorem habent, malleo extendibilia sunt. Quibus in humido aqueo glutinoso plurimùm est admixtum aëris, & parum terræ, fingi possunt in diuersas formas, ut cera. Aquea vaporem emittunt ad ignem apposita: aërea fumum & suffutur: vinctuosa nidorem, ut oleum; fuliginem ea quæ cum aëre ac lentore plusquam modicum habent terrestribus partibus.

DISPUTATIO II.

Ordine XI.

De generatione substantiali, & corruptione corporis mixti.

DIXI hæcenus de alteratione, quæ medium est ad productionem substantialem ipsius mixti; nunc generatio ipsa sequitur, qua incipit existere substantia noua coalescens ex pluribus; & tamen vnius essentia, vnius formæ, vnius materiae. Primum ergo generationem ipsam & corruptionem vniuersim considero: secundo generationem ipsius mixti, siue mixtionem cum suis principiis, causis & proprietatibus.

QVÆSTIO I.

De generatione & corruptione substantiali in vniuersum.

PRincipia earum & causas tradebam initio tractatus primi; nunc quidditas vtriusque super-

est; deinde vtrum fiat in generatione resolutio vsque ad materiam primam; denique, an & quomodo naturaliter reparari potest res semel corrupta.

SECTIO I.

Quidditas generationis substantialis.

Generationis nomen interdum sumitur latissime pro qualibet productione substantia, interdum strictissime pro sola productione viuientium, interdum valde proprie pro qualibet productione substantia ex subiecto. Sumitur nunc generatio in hac significatione vltima, quariturque primò de illius existentia, siue an sit: secundo de illius definitione propria: tertio quales sint termini eius, tum formalis, tum totalis.

§. I.

Vtrum detur generatio substantialis proprie dicta.

Negarunt plerique veterum, dari generationem ullam substantialem, sed solam alterationem, ut testatur Aristoteles lib. 1. textu 1. & nunc eandem doctrinam profus exsolentam, & abrogatam iterum inuenerunt quidam recentiores Philosophi, rem dicentes vix credibilem, & risu dignam; quod nimirum nulla sit substantia mixta, in qua non existant realiter formæ omnes, quæ induci possunt in hanc materiam; eas enim non de nouo produci volunt, sed educi ex hac materia, & quasi extricari, sepultaque, & quasi confusas esse ibi formas omnes, donec in materiam inducantur dispositiones, quibus positis illæ formæ suam possunt explicare activitatem: vel certè nihil omnino nisi figmentum logicum, aut metaphysicum esse formas substantiales distinctas à materia, sed illas non esse aliud quam certam combinationem, compositionem, & confusionem minimorum corporum, quorum varia configuratio & conformatio facit totam in rebus diuersitatem. Sic enim censent noui Aristotelis aduersarij, dum statuunt nulla esse in rebus omnibus mixtis corpora, præter quatuor elementa, ut retuli 2. Physicorum, & reieci.

Dico primò, certum omnino, & compertum esse, quod detur generatio substantialis in rebus, adeò ut nouæ quotidie formæ producantur, & aliæ profus intereant.

Ratio est, quia dantur in rebus subalternaribus formæ substantiales: illæ non existunt omnes simul in eadem materia, sed in ea sibi mutuo succedunt per veram generationem & corruptionem substantialem: ergo dantur in rebus generatio substantialis & corruptio.

Maiorem probabam tractatu 1. vbi pluribus argumentis ostensum est, admittendas esse in rebus formas substantiales, quia corpora naturalia substantialiter specie differunt, ut constat ex diuersis eorum proprietatibus: non differunt per materiam: ergo est necesse ut differant per formam substantialem. Deinde videmus corpora in suis læsa proprietatibus, ad priorem redire statum, & reparare id quod prius amissum erat: hoc non accidit nisi propter formam substantialem diuersam; nam id quod est radix proprietatum, non est accidens, sed substantia & essentia ipsa rei: ergo dantur in rebus formæ quæ sunt substantia. Deinde accidit aliquando, ut destructo vno acci-